



Mr. Michael Zeger

Juvante Trin-unò

DISPUTATIO THEOLOGICA

3.

De

TRADITIONIBUS

Quam

Indultu Maximè Reverendi, atq; Amplif-
simi Theologorum Ordinis in Academia

Philureâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Plurimum - Reverendi, Magnifici, Amplissimi
atq; Excellentissimi*

DN. HIERONYMI KROMAYERI,

SS. Theolog. Doct. & Prof. Publ. Canonici Misnens.

Colleg. Principum Maj. Collegiati, Acad. Decem-Viri,
Alumn. Elect. Ephori, & Fac. Theol. p. t.

Decani,

Dn. Præceptoris, Patroni atq; Promotoris sui omni

observantiæ cultu æ viternum devenerandi,

Pro collatò gradu Baccalaureatûs in studio Theol.

H. L. Q. C.

ad diem V. Septembr. clò Isc LXV.

publicè ventilandam proponit

M. JOHANNES THILO, Lipsiensis,

SS. Th. Baccal. Eccl. Tzschopaviensis h. t. Diaconus.

A. & R.

Lipsiæ, Typis Viduæ HENNINGI COLERI.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
ELECTORIS SAXONIAE

In Supremo Senatu Ecclesiastico
PRÆSIDI EMINENTISSIMO

Per-Illustri ac Generosissimo
DOMINO,

DN. CAROLO, LIBERO BARONI à Griesen/
Dynastæ Rotaviæ, Serenissimo Electori Saxon.
à Consiliis intimis &c.

CÆTERISQUE CONSILIARIIS GRAVISSIMIS.
*VIRIS Reverendissimis, Nobilissimis, Magnificis, Am-
plissimis, Consultissimis atq; Excellentissimis,*

DN. CHRISTOPHORO BULÆO, SS. Theol. Doct.
Famigeratissimo, Ecclesiæ Dresdensis & Vicinarum Superatten-
denti Vigilantissimo.

DN. MARTINO GEIERO, Doctore itidem Theologo
Celeberrimo, ac de Universâ Christi Ecclesiâ Meritissimo, Serenissimo
Electori Saxonæ à Concionibus aulicis Primariis &
Confessionibus Sacris,

DN. D. GOTTFREDO BERINGERO, Hæredi-
tario in Hausdorff/Jcto, Celeberrimo,

DN. D. JOHANNI HEIGIO, Hæreditario in Sora/
Jcto itidem Famigeratissimo,

Dnn. Patronis & Promotoribus suis maxime suspiciendis,
Ut &

VIRO Plurimum Reverendo, Amplissimo atq; Praclarissimo
DN. VALENTINO HEERBRANDO, Serenissimo
Electori Saxonæ Ecclesiæ Aulico Seniori,

Dn. Patrono ac Pro Socero suo Germani Parentis instar Devenerando,
Deamando,

Dissertationem hanc Theologicam

submissè consecrat, dedicatq;

M. Johannes Thilo, SS. Theol. Baccal.
Ecclesiæ Tzschopaviensis Diac
Respondens Autor.



ME JOVA TUERE!

Περὰυλιον.

§. 1.

Memoranda verba sunt Divi Pauli Apostoli, 2. Thess. 2, v. 3. *ne quis vos seducat ullo modo (quasi jam instet dies Domini) quoniam (non veniet) nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, v. 4, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur DEUS, aut quod colitur, ita ut in templo DEI sedeat, ostendens se tanquam Deus.* Quibus plenam ferè AntiChristi definitionem, & notas sat palpabiles nobis proponit.

§. 2. Quodsi jamdum seculo à nato Christo currente septimo jactari cœptum est, vel adesse, vel brevi adfuturum Anti-Christum; quo nomine tum temporis in quibusdam Hispaniæ Ecclesiis Apocalypsis Johannèa publicè prælegi consuevit: Concil. Tolet. quart. decretò 16. quantò magis nunc in propatulo est, & diu eum adfuisse, & ipsam Romanam sedem involasse; quippe non sub cineribus amplius, ut olim, latitat Anti Christianum odium, sed in apertam flammam prorupit?

§. 3. Cui enim ignota est intoleranda illa vox, quâ se supra omne Divinum Papa effert, quando à satellitibus ejus Esaviticis pro communi Theologiæ obtruditur principio: *Quicquid Papa dicit, verum est, sive cum expressò Dei verbò consentiat, sive eidem è diametrò opponatur: neq; enim Papa errare potest.* Adeò sibi in miseras conscientias hominum absolutum sumit imperium, ut relicto & insuper habitò Dei verbò totus ab ore suo nefandò pendere jubeat!

§. 4. Variis quidem modis pingere se solet Romana meretrix,

A

retrix, ne deformitas hæc oris ejus appareat. Nam & verbo Dei scripto tribuere aliquid videtur, dum parziale saltem principium cognitionis nostræ beatificæ illud sæpenumerò dicitur. Sed meros fucos intelliget, quisquis cogitaverit, quàm egregiè scripta Θεόπνευστα tractet. Fontes criminatur esse corruptos. Scripturæ sensus ipsi habetur dubius & obscurus, quiq; non plus valeat ad convincendos homines, quàm Æsopi fabulæ, nisi Papæ suffragio sit suffultus. Præterea statuere potest juxta Canonitarum oracula contra Epistolas Pauli, ac dispensare contra verba Evangelii; quia actu ipsò, non obstantibus verbis Christi, *πρωτηγορησιαν* in Obstantiensi suo Concilio introduxit.

§. 5. Palliare etiam se solet Patrum autoritate, & nos ostentui habere coràm mundò, quasi Patrum & primitivæ Ecclesiæ consensu destitutos, quo nomine multùm simplicioribus imponit. Cum tamen, si colligantur Patrum calculi, multò plures nostram, quàm *ἀντικειμένον* confirmant sententiam. Ipse autem quanti Patres faciat, oppidò exinde liquet, dum Pater Patrum audire vult, cui Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, & quoscunq; appellaveris Patres, pro filiis sint subjiciendi. Quod si exciderit aliquid his Patribus, quod non ad palatum hujus Deatris est, ut filii immorigeri castigantur, scripta eorum lacerantur, oblinuntur, augentur, miuntur, donec fari à Parente suo Magno discant. Faceat hæc Patrum autoritas, & intelligat mundus, non tantùm cœlestis Scripturæ, sed Patrum etiam effata (non aliter ac omnem secularem potestatem Politicam) superbò Papæ cothurnò proculcari.

§. 6. Ad Concilia etiam provocat. Sed, sancte Deus, qualia, quanta! Dixerit aliquid Nicenum, Ephesinum, aut aliud majoris momenti Concilium, quod cum Orthodoxia plenè consentiat, nã illud pariter, ac ipsi Patres, in nam Rom. Pontificis experietur. Quid enim? Annon *Papa supra Concilium generale, & supra Ecclesiam universam?* Ergò rejicere vel amplecti ex Conciliis ipsi licet, quicquid libet. Quod si seculis his posterioribus cogere aliquid conciliabulum ei placeat, istorum tamen velut forma ac anima est. Quà de re grave perhibuit testimonium Carolus IX. Galliarum Rex: is enim in protestatione suâ contra Tridentinum

*Bellarmin. l. 3.
de Concil. c.
16.*

dentinum Concilium his verbis utitur: *Quamquam, Patres Sanctissimi, vestra omnium religio, vita & eruditio magna semper fuit, & erit apud nos autoritatis, cum tamē nihil à vobis, sed omnia magis Romę, quàm Tridenti agantur, & quę hic publicantur, magis Pii IV. placita quàm Concilii decretajure æstimentur, denunciāmus & protestamur, quacunq; in hoc conventu, hoc est, SOLO PII NUTU ET VOLUNTATE decernuntur & publicantur, ea nec Regem Christianissimum probaturum, nec Ecclesiam Gallicanam pro decreto Oecumenici Concilii habituram.* Citante Gerb. L. de Magistr. p. m. 318.

§. 7. Tandem Traditiones non-scriptas jaçtat. Dignum patellā operculum! Sed & hanc ipsam de Traditionibus Traditionem si paulò urgeas, in fumum ac ventum planè abit. Neq; enim omnes recipit, quę ab antiquis descenderunt, & quę jam probavit, mox improbat. Adeone Traditio quidem tantopere jaçtata Rom-Papę quicquam præjudicat! Scilicet haud absolum est hujus Idoli cultoribus asserere, quę olim vera fuere, mox Papã sic censente fieri falsa, & quę olim falsa fuere, seodeni annuente fieri vera. Attendendam quippe esse Praxin Ecclesię, quę mutatis circumstantiis aliud atq; aliud postulet. Si hęc non procedit expiscari crumenas hominum, aliã rem aggrediemur viã.

*videatur
Cusanus de
Iurp. Scrip.*

§. 8. Reclamet ergò universa Scriptura Sacra, contradicant Patres, protestentur Concilia, contraveniat ipsa Traditio; Quicquid Papa dicit, verum est, quicquid ordinat, bonum est: Qui secus statuerit aut docuerit, anathema esto.

§. 9. Meritò igitur hęc quis exclamet:
ô cęcas hominum mentes! ô pectora cęca!
Qualibus in tenebris vitę quantisq; periculis degunt omnes, quicunq; Papalis scrinii secreta ac decreta sequuntur! Deus bone, miserere tot gentium, ac Cimerias quibus sponte obvolutę sunt, tenebras discute, ut tandem Te cognoscant in verbò tuò, lumen in lumine tuò, cęterisq; omnibus, quę vel extra vel contra verbum tuum proferuntur, repudium mittant!

§. 10. Nobis in præsentia animus est, sustentaculum illud Pontificię Tyrannidis postremò locò jam positum, sed facilè præcipuum, Traditiones nempe, ex solò DEI verbò adhibitis machinis,

Chemnit.
Part. I. Loc.
p. 17.

machinis, paulisper commovere. Et quanquam ad hanc rem dignè elaborandam nec otium suppetierit, nec librorum copia, quippe in solitudine constitutis, volumus tamen summam saltem rerum carpere, atq; ergà Christum nostrum vel hoc ipsò pi-
um affectum demonstrare; in memoriam nobis revocantes, quòd secundùm alterius illius Martini pronunciatum ex antiquitate repetitum *Theologia magis in affectu, quàm in cognitione consistat.*
Affectus placeant hi, Bone Christe, tibi!

Εγχασία.

§. I.

Ut Etymon vocis in aprico est; à tradendo enim Traditio dicitur (*παράδοσις* à *παράδιδόναι*) quod inter alia idem significat ac docere, instruere, narrare; quomodo accipere sæpè idem est, quod mente percipere, legere, audire &c. sic homonymia multis difficultatibus obstricta tenetur. multasq; adversariis latitandi cryptas ostendit.

§. II. Nos compendium rerum hâc vice facturi breviter dicimus: Quando nobis cum adversariis res est, non intelligimus *Scriptas* illas traditiones clarò DEi verbò expressas. Nam & sacra illa Prophetarum & Apostolorum à nobis recepta dogmata cum per scripturas nobis tradantur, eò nomine veniunt 1. Cor. II. v. 23. & cap. 15, v. 3. Nec intelligimus *Testificatorias*, quando de Scriptis Canonicis, Primitiva præsertim, testatur Ecclesia. Nec *Rituales* seu *Ceremoniales*, ubi, quod Apostolus in genere de *εὐαγγελισμῶν* perhibuit, ad speciem certam applicatur. Nec *Historicas*, si quid ulterius, v. g. de Apostolorum vitâ ac rebus gestis, quàm quod in Actis continetur, ab Ecclesiæ Primitivæ scriptoribus traditur, (velut nomina duorum Magorum, qui dicuntur Jannes & Jambres 2. Tim. 3, v. 8, Apostolum ex ejusmodi Historicâ Traditione cognovisse nonnulli autumant). Ut enim primas illas pro credendi ac vivendi regulâ unicè agnoscimus; sic posteriores recensitas, si fuerint *κατὰ πάλαι σύμφωναι ταῖς γραφαῖς* lubenti animo recipimus. At tota controversia de illis est, quæ, tanquam in negotio salutis necessariæ, præter & extrâ scripturam ab adversariis nobis obtruduntur, communiq; nomine *dogmata ἀγροφα*
dici

dici possunt. Tales dari, easq; pari pietatis affectu cum ipsis scripturis venerandas esse, Tridentinum Concilium asseverat. Sessione 4. decreto 1. Sed ex sunt, quas toto corde detestamur.

§. III. Mirè autem sibi placent Rom-Papa ejusq; asseclæ, dum gloriantur, habere se traditiones ab Apostolis ipsis profectas, quæ & defectum sacrarum literarum supplere, & obscuritati earum lucem affundere queant. Neq; enim negari potest, plura omninò ab Apostolis, quantum ad verba, vivâ voce prolata esse, quàm quæ sunt literarum monumentis consignata. Sed nos breviter jam demonstrabimus 1. Traditiones non esse necessarias 2. Traditiones si darentur Apostolicæ, eas tamen certam quandam fidei πληροφορίαν gignere non posse. 3. Papisticas autem Traditiones esse impias, blasphemias, verboq; Dei contrarias. Sit igitur in hac πραγμαολογία.

MEMBRUM I.

Quòd Traditiones non sint necessariae.

§. I.

Intelligendum hoc est de iis temporibus, quæ Canonem sacrarum literarum divinitus constitutum sequuntur. Fuisse enim aliquam Traditionum necessitatem, antequam Sacra Scriptura extarent, haud imus inficias. Quin potius ultrò fatemur, sub Veteri quidem Testamento Deum diutius traditionibus, quàm ipsis scripturis usum esse. Subductò enim calculò facilè apparet, populum DEI doctrinam cœlestem per annos 916. diutius sine scriptis, quàm in scriptis habuisse, id quod benè notat Chemnit. in Exam. Concil. Trid. part. I. p. 14. Nam à conditò mundò ad promulgationem legis, si communiorem supputationem sequamur, numerantur anni 2454, à conscriptâ lege usq; ad ministerium Christi tantùm anni 1538. In Novo autem Testamento breviculum est spatium, quod ab initio prædicationis Apostolicæ ad initium scripturae effluxit ac ne viginti quidem annorum terminum attingit. Hisce temporibus quis neget sub utroq; fœdere vel maximam Traditionum fuisse necessitatem? aut enim doctrina Divina communi & ordinariò modò propaganda fuit scrip-

tō, aut traditione. Sed nondum scriptō juxta Divinam εὐδοκίαν.
Ergo Traditione. Si vel tertium modum addere, revelationes
nempe immediatas, expedita est responsio, eas non nisi peculia-
riter ac insignis privilegii locō paucis tantummodō obtigisse.

§. 2. Miramur ergō & meritō ridemus Papicolas non-
nullos à baculō ad angulum argumentantes, dum nescii, quid
ogganiant, illud temp⁹ nobis obvertunt, de quō tamē nobis cum
illis nulla planē intercedit controversia. Ita enim Andradius
Chemnitii antagonista: *Quæ est igitur levissimorum perditissimorumq̄
quorundam hominum (Lutheranorum nempe) tanta impudentia &
temeritas, qui hanc rationē tradendi, propagandi & conservandi Evan-
gelium (per Traditiones sc. absq; scriptō,) quā Christi Ecclesia nata,
educata, longeq; propagata, deniq; conservata fuit, inanē ac levem existi-
mant? Illud verò est, quod magis mireris, quare per breve illud spa-
tium, quo in N. T. Traditiones in usu fuerunt, nobis opponat, silen-
tium populo involvens longissimum illud sub V. T. tempus, quō mul-
tō fortius stringere nos potuisset. Non temerè id factum, sed gravi
susceptum est consiliō. Nam Rabbinorum ac Phariseorum
Traditiones, quas præter scripturas V. T. proponunt, Papistæ eti-
am recipere nolunt. Agnoscens igitur Andradius, quantum
ratione suā Judæorum Synagogæ prodest, quoquō modō id ob-
nubilare conatur. Tale enim ratiocinium nec tendum ipsi fuerat:*

*Quō modō DEI verbum olim propagatum & conserva-
tum est, eo modo etiam nunc propagari & conservari potest ac
debet.*

*Atqui per Traditiones Apostolicas non-scriptas verbum DEI
olim propagatum & conservatum est.*

*Ergō & nunc per easdem propagari & conservari potest ac de-
Hic statim subsumere potuisset Judæus: (bet.*

*Atqui per Traditiones, V. T. non-scriptas verbum DEI olim pro-
pagatum & conservatum est.*

*Ergō etiam nunc per Traditiones illas V. T. (de quibus Rabbinus
gloriantur) propagari & conservari potest ac debet.*

*Quare tametsi argumentum adductum multis aliis laboret infir-
mitatibus, Andradius tamen id præprimis attendens, ne Judæo-
rum iusta instantia cuivis primō obtutu tam facilē appareret,
Majorem suam sic statim determinat: Quō*

Quò modò olim Evangelium sub initium N. T. propagatum est & conservatum, eo etiam modo nunc propagari & conservari potest ac debet.

Atqvi olim per Traditiones Apostolicas. Ergò, ut sic Judæi, qvi non recipiunt Evangelium ac N. T. omni prorsus jure cum Traditionibus suis Rabbinicis excidisse videantur, fumusq; fiat, ac si vetus jus per novum sit sublatum. Quasi verò non Judæi saltem Christi tempore, & ante plenè denunciatum Evangelium Andradii argumentum facilè ad suum iustitutum transiungere potuissent:

Quò modò olim lex ab initiò V. T. veletiam mundi, propagata est & conservata, eò etiam modò nunc propagari & conservari potest ac debet.

Atqvi olim lex per Traditiones Patriarchales ac Propheticas. Ergò.

Idq; tunc eò magis ratum fuisset, quò diuturnior antè fuerat sub V. instrumentò etiam sine scripturâ Traditio. Adde, quod Major secundò locò posita priorem illam, quasi generalem maximam, necessariò præsupponat: imò totum hoc, quod olim observatum est, & nunc debet observari. Rejerimus autem Papistis: quemadmodum Christus Pharisaicas Traditiones rejecit, quæ extra & præter scripturam proferebantur, non attendens, quod ab initiò Deus traditione in propagandò verbò suo usus fuisset, atq; auditores suos unicè ad verbum scriptum remisit: sic nos pari vel potiori jure Traditiones Papisticas respuimus ad unam Scripturæ normam attenti; cum quoad modum, quo Deus uti voluit ab initiò in propagandò verbò suo, longè minor temporis præscriptio sub Novò, quàm sub Vet. Testamentò occurrat.

§. III. Libuit hæc ex Chemnitii mente paucis repetere, ut appareat, quàm cautè & prudenter Papistæ Judæorum casses evitare didicerint. In genere autè posita maxima vel mille instantiis infringi potest. Non statim, quæ olim fuerunt, & nunc servanda sunt. Alias & sacrificiis ovium ac boum, quæ olim instituit DEUS, nunc colendus esset.

§. IV. Illud etiam præmonendum est, antequam ad confirmationem

firmationem theſeos noſtræ accedamus: Scripturam non tan-
 tum V. ſed & N. Teſtamenti ad noſtram, qui nunc vivimus, in-
 formationem exarataſſe. Miraris hæc monitore egere? Sunt
 tamen Papicolarum plurimi adeò infructuſi, ut N. T. Scriptores
 non ex juffu DEI, non ex certò propoſitò aut conſiliò totam Ec-
 cleſiam juvandi ad ſcribendum animum appuliſſe; ſed quaſi in-
 cidenter pro præſenti tantùm neceſſitate hoc vel illud in chartas
 conjeciſſe impudenti ore affirmant: quò ita planè à verbò DEI
 ad Traditiones ſuas idololatricas homines abducant. Nempe
 communis vox ſub Papatu eſt; Apoſtolos tantùm ad has vel il-
 las Eccleſias, neceſſitate ſic ferente, quaſi amicas & privatas literas
 amandaſſe. Dicant verò iidem, num in V. T. vaticinia, quæ certis
 quibusdam populis in ſpecie pro re natà facta ſunt, illos tantùm
 concernunt ad quos facta ſunt; an ad nos quoq; ſpectant? Si prius,
 ergò jam intereant, nihil refert; vel ſunt Traditiones Judaicæ de-
 nuò ipſorum locò recipiendæ. Si poſterius, ergò ut peculiaris ille
 ſcopus, quo pro instanti occasione Prophetæ tale vel tale ſcriptũ e-
 diderunt, non obſtitit utilitati publicæ, ſed eandem potiùs confir-
 mavit: pari ratione de Apoſtolorũ ſcriptis ſtatuendum. Et quid
 dicendum de Evangelistarũ Historiis, quæ N. T. pars haud poſtre-
 ma ſunt? Ergò ne & Chriſti vita ac res geſtæ ex incertis traditioni-
 bus, quàm ex certiffimâ Evangelistarum conſignatione, magis e-
 unt cognoscendæ? Adde, quod à totâ ſanâ & canâ antiquitate A-
 catholici noſtri hòc modò deficiant, quæ Apoſtolorum complu-
 res Epistoſas *Catholicarum* titulo inſignivit, ſumtò argumentò
 ex objectò, quod omnes omninò homines erudire debeant. Nec
 cæteræ Epistoſas ab hâc nomenclaturâ excludendæ ſunt. Nam &
 Paulus *I. ad Corinth. c. 1. v. 2.* ſalutem dicit *omnibus in univerſum
 invocantibus nomen Chriſti.* Aut igitur verba Pauli ad ſuum adeoq;
 noſtrum ſeculum pertinere Papiftæ concedant; aut profiteantur,
 ſe eos eſſe, qui nomen Chriſti non invocant.

§. V. Sed in re manifeſtâ quid laboramus ampliùs? Præ-
 mittenda tamen hæc fuerunt ob varias Romanenſium ſtrophas.
 Poſtquam igitur literæ ſacræ conſignatæ ſunt, eademq; ſimul no-
 bis in noſtram omnium *ἐκδομὴν* commendatæ; porrò dicta omnia

omnia

omnia quæ demonstrant S. Scripturæ perfectionem, eadem Traditionum necessitatem copiosè refellent. Si enim nobis ob nostrum commodum discenda est Scriptura S, utriusq; Testam. eademq; perfectè & numeris omnibus absolutè proponit, quæ ad salutem pertinent, utiq; non necessarium est Traditionibus extrâ & præter scripturam inhærere.

§. VI. Ut igitur Bellarm. l. 4. de verbo DEI c. 5. Traditionum necessitatem ex imperfectione Scripturæ demonstrare nititur: sic nos ex oppositò principiò benè oppositam elicimus conclusionem. Script. perfecta est, E. non necessaria est Traditio. Majoris tamen evidentix ergò lubet uti hõc argumentò:

Quicquid non est necessarium, nec ad hominem Christianum in genere, qd. talem, informandum; nec ad Ecclesiæ ministrum in specie in munere suo dirigendum: illò utiq; sine dispendio salutis nostræ carere possumus. Atqui Traditiones non sunt necessariae nec ad hominem Christianum in genere &c. Ergò

§. VII. Circà majorem notamus, ad eam nos quasi manibus duci à Jesuitâ Costero, qui pro suo acumine accuratè circà hanc materiam distingvere novit: *Non inficiamur*, inquit in Enchiridio p. 49. *precipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognita sunt ad salutem necessaria, perspicuè satis esse Apostolicis scriptis comprehensa, cujusmodi sunt mysterium sanctissimæ Trinitatis & incarnationis Filii Dei, historia passionis Dominicæ, remissio peccatorum & promissio vitæ æternæ. Hæc enim ut firmitus omnium mentibus inhererent, variis modis inculcari debuerunt, concionibus, Evangelicis, Epistolis &c. & p. 50. ipse sibi opponit ex Joh. c. 20, Multa quidem & alia signa fecit Iesus. Ergò omnia, quæ ad fidem pertinent, scripta? Respondet autem: consequentia non valet, sed inferendum potius erat, ergò ea literis notata fuerunt à Johanne de Christo, quæ ad salutem erant scitu necessaria, quod ultrò damus. Plura autem ad fidem pertinent, quàm omnes nosse tenentur. Pauca capita novisse sufficit ad salutem, de reliquis satis est contrarium non pertinaciter tueri.*

§. VIII. Duas ergò quasi partes Theologiæ constituendas esse Costerus tacitè subinnuit, Communem & propriam,
B quarum

quarum illa circa hominem Christianum in genere ad salutem informandum versetur; hæc ministros ac doctores Ecclesiæ speciatim attingat, quæq; de Ecclesiâ, de hæreticis, de statibus Hierarchicis, de causis conservantibus & corrumpentibus Ecclesiâ &c. agat. Concedit enim, quæ omnibus Christianis ad salutem sunt necessaria, perspicuè satis in Apostolicis scriptis esse proposita. Cæterum non omnia, quæ ad fidem pertinent, id est, quæ si scire tenentur, quorum est regere Ecclesiam, in sacris literis contineri. Nec abluunt ab hac sententiâ, quæ Bellarmus, habet l. 4. de verbo Dei c. 11, ubi asserit, *Apostolos consuevisse ea, quæ sunt simpliciter necessaria, omnibus prædicare, alia verò non omnia omnibus; sed quedam omnibus, quæ scilicet omnibus erant utilia; quedam solis Prælati, Episcopis & Presbyteris, ut de ratione gubernandæ Ecclesiæ, de Sacramentis administrandis, de refellendis hæreticis &c. quò transfert illud Apostolicum 1. Cor. 2. v. 6. Sapientiam loquimur inter perfectos.*

§. IX. Idem tamen Costerus & Bellarminus a se obsecurè & perplexè loquuntur, ut, quod unâ manu Scripturæ concedunt, nempe ipsam continere saltem omnia, quæ omnibus absolute ad salutem necessaria sunt, alterâ rursus eidem surripere videantur. Verba eorum non attingemus, sed quæ alii horum socii apertiùs statuant, videamus. Censura Coloniensis f. 220. disputat, *scripturam esse imperfectam, mutilam, mansam, quæ non contineat omnia quæ AD SALUTEM, fidem & mores pie vivendi pertinent.* Hesselius in Catech. *non hoc egerunt Apostoli scribentes, ut totam fidei doctrinam scriptò traderent, sed contenti fuerunt satisfacere difficultati occurrenti.* Omnium autem pessimè Immanuel à Vega in oppugnatione Samofateniani Dei, & Possevinus l. 8. Bibliothecæ contendunt, *Trinitatem non nisi admissâ traditione demonstrari posse.*

§. X. Contrâ utramq; sententiam argumentum nostrum decertat, non solum ab informatione hominis Christiani in genere, sed etiam ab instituendò ministrò Ecclesiæ Traditionum necessitatem penitus excludens. Probamus jam minorem quoad singula membra. Et quidem, quantum ad hominem Christianum in genere informandum, sic procedimus; Scriptura infallibilis

bilis, cui certè ut Apostolicæ infallibilitatem Papistæ derogare nequeunt, nisi eam & Traditionibus suis demtam velint, apertè de se testatur; & ad finem se homines adducere, & sufficientiæ media ad impetrandum finem ministrare; eademq; Subjecti salvandi etiam requisitas qualitates determinat. Ergò nihil amplius est, cujus respectu ad hominem Christianum, quatenus talem, Traditiones requirantur.

§. XI. Finem quod concernit, is ultimus, proprius tamen atq; adæquatus, est salus hominis æterna. Absq; hæc enim si esset, omnia Christianorum essent frustra 1. Cor. 15, v. 14. Ad hunc autem sufficienter nos perducit Scriptura S. teste Johanne omni exceptione majore c. 20, v. 31. *Hæc scripta sunt ut credatis, & ut per fidem habeatis vitam æternam.* Ait Johannes, propositum sibi fuisse homines ad vitam æternam perducere; ideoq; hæc se scripsisse, eaq; ex multis elegisse. Quod si plura huic fini necessaria judicasset, certè haud tam negligens fuisset scriptor, quò minus & illa adjecisset. Ad stipulatur Paulus 2. Tim. 3, v. 15. *Scriptura S. possunt te σοφίσαι εἰς σωτηρίαν.* Nugæ sunt, quòd regerunt, Paulum loqui de Scripturis V. T. quas Timotheus ἀπὸ βιβλίου didicerat. Si enim V. T. scripta ad hunc finem sufficientia fuerunt solitaria; quantò magis nunc cum N. T. libris conjuncta? Sed & sequens sententia generalissima v. 16, magno argumento est, proximè quoq; præcedentem sententiam in eòdem contextu utrosq; libros tum V. tum N. Testamenti ambitu suo continere.

§. XII. Media quoq; sufficientia ad salutem nobis scriptura suppeditat, idq; cum ex parte DEI Paulus apertè testatur, prædicasse se nobis *omne Dei consilium.* Act. 20, v. 27, nempe de salute nostrâ susceptum. Quodnam verò est illud consilium? convertere sc. homines per verbum & sacramenta. Hoc omne Paulus nobis exposuit, simulq; ipsa illa media declaravit v. 20. *nihil reticens, quod esset utile.* Ajunt quidem Papistæ, de prædicationibus non scriptis Apostolo sermonem esse. Sed Paulus c. 26, v. 22. subjungit, *se nihil docuisse εἰ μὴ ὅς ἄν τις οἱ Προφήται ἐλάλησαν,* extra quod Prophetæ locuti erant. Papistæ ulterius regerere nequeunt, etiam eò locò de prædicatione verba fieri, nisi à no-

bis quoque; repeti velint, ergo & Judaicæ V. T. Traditiones pari pietatis affectu cum S. literis colendæ fuerunt. Nobis certè idem est prædicatio Prophetarum & eorundem scriptio, nec accidentales hæ differentiæ in verbo DEI quicquam mutant. Undè significantissimè de ipsò Paulò refert Petrus II, 3. v. 16. *ὡς καὶ Παῦλος ἐν πάσαις τὰς Ἐπιστολαῖς λαλῶν*; quandò sc. *ἔγραψεν ὑμῖν*, vers. præced. Eòdem modò Prophetæ *ἐλάλησαν*, quò Paulus hîc dicitur *λαλῶν*, scriptis sc. Quodsi verò in N. T. scriptis omne DEI consilium jamdum fuit contentum, sanè accedente Pauli scriptione illud non obscuratum est, sed magis explanatum,

§. XIII. Ex parte hominum unicum medium Fides est. Hanc etiam Scripturam præter & extrâ Traditiones gignere rursus ex paulò antè citatò Johannis locò c. 20. v. 31, abundè liquet: *hæc scripta sunt, ut credatis*. Quamvis autem & hanc sententiam arrodere solent Romanenses, quasi de miraculis non autem de fidei doctrinis agat, eam tamen contra ipsos multis modis urgemus. Nam. 1. si tantùm de miraculis Christi conscriptum est, quantum sufficit ad generandam fidem & conferendam salutem æternam; cur ipsi Papistæ plura adhuc desiderant? cur nos tanquàm falsidicos accusant, qui non, quod dicimus, miraculis probemus? 2. Miracula sine verbò seu doctrinâ nihil in sacris probant. Anteqvàm enim fidem habeamus miraculis, necesse est constet priùs de doctrinâ ejus, qui talia facit, Deut 13. Es. 8. insulsus ergò esset Johannes, quasi miraculis exclusivè sine doctrinâ Divinitatem Christi asserere voluisset. Incredible est, Johannem, qui miracula Christi ad sufficientiam nobis proposuit, doctrinam ejus non pari curâ persecutum esse, sicquæ; ea, quæ non sunt necessaria simpliciter, summò studiò proposuisse, in *ἀπλῶς* necessariis nobis defuisse. 4. nec tantùm unum Articulum, quod Papistæ contendunt, nempe de Divinitate Christi sejunctim in Evangelicâ historiâ tradidit; sed posito unico fundamento, nempe Christo, reliquam fidei *ὀικοδομίαν* feliciter superstruxit. Quàm explicatè enim tractat Articulum de Trinitate c. 5. & 10. item c. 16. de Baptismò, c. 3. de Ecclesiâ c. 10. de vitâ æternâ c. 5. & 6. de Prædestinatione c. 17. & c. & c.

§. XIV. Præter hoc Medium ex parte hominis ad vitam æternam obtinendam ab ipsò Deò ordinatum alia est necessitas

tas

tas bonorum operum, quæ scilicet non habent necessitatem
medii vel Deum placandi vel beatitudinem consequendi; sunt
tamen necessaria ratione consequentiæ; quia ut Boni fructus
de arboris bonitate testari debent, ac subjecti conversi qualita-
tes determinant. Sed nec hic opus Traditionibus, cum Lex
Domini sit perfecta, perfectissimam dilectionem cum DEI, tum
proximi præscribens Deuteron. 6, v. 5. Matth. 22, v. 37, 39. In
quâ dilectione omnia verè bona opera includuntur. Rom 13, v. 8.
ac notanter DEUS in specie à præceptis suis omnem additio-
nem prohibuit Deut. 4, 2, ne videlicet hęc ipsõ imperfectio-
nis arguerentur. *Perfectum enim est, cui nihil deest*, docente
Philosophõ V. Metaph. c 16.

§. XV. Ad alteram Minoris nostræ partem accessum fa-
cimus, et quod hætenus probatum dedimus de homine Christi-
anõ in communi consideratõ, idem nunc evincemus de mini-
stris vel quibusvis doctoribus Ecclesiæ, neq; ad horum functio-
nes ritè obeundas Traditiones necessarias esse, nisi quatenus
expedit et hostium novisse consilia, ut armis tuis eò paratior
adversus eos stare possis. Ast hoc Papistæ non attendunt, verum
Traditiones ipsum armamentarium constitunt, undè fidelis
Christi miles debeat se munire. Stat à nostrâ parte dictum Apo-
stoli Divinissimum 2, Tim. 3, v. 16. *omnis scriptura θεόπνευστος uti-
lis est ad docendum ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum
in justitiâ.* Quæ sanè sufficientissima enumeratio usuum Theo-
logorum arguit non de inadæquatâ aliquâ utilitate; sed de a-
dæquatâ, totali & consummatâ Apostolo sermonem esse; quæ
tamen Scripturæ terminos non excedat. Ac ne vel minima rimu-
la elabendi supersit, addit Apostolus, *ut ἀρτιος sit homo Dei*, (id est
Minister Ecclesiæ 1, Tim. 6. 11.) *ad omne bonum opus ἐξηρτισμένος.*
Ἀρτία Suidæ dicuntur *τὰ ἠρτισμένα τέλεια καὶ ὑγιῆ.* Conjungit au-
tem Paulus duas voces ejusdem originis, quasi dicat: scriptura
reddit Ministrum Ecclesiæ ad peragendum officium suum per-
fectissimè absolutum.

§. XVI. Atq; hinc idem Paulus, 1. Tim. 3. v. 15. disci-
pulum suum sic affatur; *hæc scribo, ut scias, quomodo oporteat te con-
versari in Ecclesiâ.* Græcum πᾶς δὲ ἀνασρέφεται indefinitum est &
generale, ut non tantum Timotheum in individuõ; sed quemvis

etiam Ecclesie doctorem Apostolus informet, quomodo ipsi in Ecclesia DEI sit conversandum. Nicephorus: *Paulus ἐν ἱερωσὶν rationem & vitam Hierarchicam copiose descripsit, ut sciret, quomodo fidelem ministrum Christi in his, quae ad ministerium pertinent, oporteat recte versari in Ecclesia.* Haec igitur est vera Ecclesiae Hierarchia, quae ad mentem Apostoli à Spiritu S. *ἡγερούμενος* formatur. Ceteras Ecclesiae Pontificiae Hierarchias, quas ex Traditionibus adstruunt, vel ex suppositio suo Dionysio proferunt; ut spurias & adulterinas non magnoperè curamus.

§. XVII. Concludimus ergò verbis Thomae in Commentario super 2. Tim. 3. *Quadruplex est effectus Scripturae, scilicet docere veritatem, arguere falsitatem, quantum ad speculativam: eripere à malo & inducere ad bonum, quantum ad Practicam. Ultimus ejus effectus est, ut perducatur homines ad perfectum. Non enim qualitercunq; bonum facit, sed perficit. Quoniam est ergò perfecta illa sapientia, quam Bellarminus cum sociis affirmat, Paulum perfectioribus tantum, videlicet per Traditiones, credidisse?*

§. XVIII. In adversariorum castra nunc descendamus, & quibus ex propugnaculis Traditionum necessitatem defendant videamus. Tametsi autem alii alia adferant, omnis tamen vis Papisticarum argumentationum huc ferè redit: Traditiones sunt necessariae tum *antè* Scripturam S. tum *cum* Scripturam Sacram, tum etiam *post* Scripturam S. adeòq; nihil sine Traditionibus perfecte credi, nihil decentius agi potest.

§. XIX. *Antè* Scripturam S. hoc loco non dicimus eò sensu, quò supra, quod antè conscriptum Canonem Traditiones necessariae fuerint; illud enim jam concessimus. Sed postquam S. literae exaratae sunt, tunc a jure necessario requiri Traditiones Ecclesiasticas, antequàm Scripturae S. in esse Principii formaliter constituentur, sive in se, sive quoad nos, sive per Ecclesiae canonisationem, sive per ejus testificationem & approbationem, sive etiam quoad conservationem & propagationem: in his enim alii alii liberaliores sunt.

§. XX. Mittimus hoc loco extremam illam impietatem, quae nonnullos usos esse refert Chemnitius noster, Part. I. Exam. p. m. 47. qui usq; adeò Ecclesiae auctoritatem, Traditionesq; supra

præ Scripturam statuerunt, ut si noluerit Ecclesia has Scripturas nobis commendare, potuerit alias venditare pro Canonicis. Hinc enim esse, (horresco referens,) quod Evangelia ab Apostolis, ut à Matthiâ, Jacobô, Bartholomeô, Thomâ, Philippô, Petrô, Andreâ scripta Ecclesiâ potuerit rejicere, & quod rursus Canonicam potuerit impertiri auctoritatem illis, quæ conscripta sunt à Marcô & Lucâ; qui non fuerunt Apostoli, sed quos Lindanus dicit antè fuisse apostatas, ut qui Joh. 6, à Christo defecerint. Quid autem est, si hoc non est nota AntiChristi?

§. XXI. Illud verò nunc paulisper dispiciemus, num testimonium Ecclesiæ necessarium sit, antequam quicquam pro sacrâ & authenticâ scripturâ colatur & suscipiatur. Poteramus equidem & hoc ipsum statim à nobis amovere, utpotè quibus labor hic de Traditionibus non Testificatoriis, sed Dogmaticis est susceptus. Quia tamen tantam testificationis hujus necessitatem faciunt, quasi Scripturæ, saltem quoad nos, sua non possit constare auctoritas; quin & illud quod ex testificatione ejusmodi ad nos pervenit, nempe hoc esse Matthæi Evangelium, istud Marci, illud Lucæ &c. pro Articulis fidei habent: age consideremus saltem testimonium Ecclesiæ Rom. ut quæ gloria ad Rom. Pontificem hinc deveniat, tandem appareat, reliquis ad quæstionem de auctoritate Script. S. remisissis.

§. XXII. Primitivæ equidem Ecclesiæ haud exigua laus debetur, quod fideli custodiâ non tantum transmiserit; sed etiâ egregiô testimoniô sequentibus seculis commendaverit Scripturam sacram. Ac semper Catholicæ ac verè orthodoxæ Ecclesiæ testimoniô, quibuscunq; tandem limitibus circumclusa fuit, hâc in re, tanquam singulari mediô, DEUS uti voluit, quô homines ad salutem converteret. Sed nec solitarium hoc medium est, nec fidem divinam et verè ἀμετάπτωτον gignens. Non illud; quia Deus jam per miracula, jam per adversariorum etiam confessiones, jam per alias occasiones homines ad lectionem sacrarum literarum perduxit. Non hoc; quia tantum humano more nobis persuadet, in his ipsis scripturis tanta mysteria contineri, unde ad lectionem vel auditionē illarum invitamur, quæ postmodum suâ majestate sic nos irradiant, ut non amplius ut
verbum

verbum hominum, sed ipsissimum Dei verbum eas recipiamus. Necessitas ergò Medii ad paganos vel infideles primum humanâ fide adducendos tribui aliqua testificantibus ejusmodi Traditionibus potest: Sed verè Divina et Regularis autoritas, etiam quantum ad nos, ipsi Sacra Scripturæ in solidum est relinqvenda.

§. XXIII. Si jam Papa Romanus cætero quàm heterodoxus in hâc tamen re faceret, quod facit vera Ecclesia, de quâ; S. Literis bonum testimonium perhiberet, tribui forsân ei talis laus posset, qualis olim Phariseis ac scribis, quibus erant credita λόγια τῶ Θεῶ Rom 3. v. 2, aut etiam hodiernis Judæis, qui præter traditiones suas Prophetarum scripta miris elogiis ornare solent. Ast et hâc in parte multò iniquior esse solet Romanus Præsul Phariseis ac Judæis. Nam sine Traditionibus scripturis Divinis non tantùm exiguam ac ferè nullam concedit utilitatem; sed etiam omnes laicos perniciem ex his attrahere sibi ipsis clamat. Hinc valde commendat Alphonsus de Castro Lamorensis Minorita de Hæresib. Reges Populumq; Hispaniæ, *quod per omnem vitam à lectione S. Literarum veluti à peste abhorreant atq; abstineant.* Egregium verò Romanæ Ecclesiæ Testimonium sacris literis concilians autoritatem.

§. XXIV. Si in conservatione Codicis Biblici laudè quærant Pontifices, quòd quæ; eas per manus quasi nobis tradiderint; quæro secundum quam partem Scripturam eis hòc modò debeamus. Num secundùm Vetus, an verò, secundùm Novum Testamentum? Annon autem utrumquæ; in fontibus corruptum esse Papa asserit? malus ergò Custos horum scriptorum fuit; et multò pejor, quàm Judæi, de quorum vigilanti custodiâ scribit Philo, citante Eusebiò l. 5, c. 2. præparat. Evang. *Usq; ad sua tempora ne verbum quidem unquam fuisse in lege Ebraeorum mutatum, et quemlibet Judæorum centies potius moriturum, quàm ut pateretur legem in aliquò mutari.* Ac postmodùm etiam, ut tradit Polanus in Syntag. l. 1. c. 37. ab ipsis Judæis creditum est, *si quis ignorantia, vel malitia, vel impietate unum vocabulum mutet, periculum esse, ne totus mundus pereat.* Ebraicam sanè scripturam nobis Synagoga Judaica sartam tectam reliquit, Græcam etiam Græcæ

Græcæ Ecclesiæ ad nos propagârunt. Papæ conservationi nihil debemus, nisi forsan impuram vulgatam. Sed servet sibi hanc, nobis exinde de Canone nihil peribit.

§. XXV. Illud etiam observatione dignum est, Papistas adhuc aliô modô Traditiones ante Scripturas sacras requirere. Quando scilicet quis primùm ad fidem Christianam convertendus est, rùm non sufficere ajunt, ut Ecclesiæ testimoniô ad scripturarum pervestigationem adducatur; sed etiam opus esse, ut Cateheticâ aliqvâ informatione imbuatur, anteqvâ in S. literas manu tractet; aliàs indocilem earum fore discipulum. Nec ipsam Catechesin ex sacris fontibus haberi, sed ex Traditionibus potissimam partem assumendam esse. Hinc Lindanus: *Epistolas, inquit, scripserunt Apostoli non ad rudes fidei & ad Catechumenos, sed ad illos, quos jam antea in rudimentis fidei instituerant.* Scilicet ut tantùm commone facerent auditores eorum, & quidem ex parte, quæ antè vivâ voce plenè ac perfectè tradiderant.

§. XXVI. Sed hoc difficilimè obtinebitur, Cateheticam institutionem ex ipsô sacrô Codice peti non posse. Nam & vox *κατηχησεως* non est omninò ἀγενεστος (ut nonnulli arbitrantur) quod patet ex Luc. 1, v. 4. Act. 18, v. 25. 1. Cor. 14, v. 19. Gal. 6, v. 6. & ipsæ quæstiones, quales proponi solitæ fuerint temporibus Apostolorum ejusmodi proselytis, recensentur Ebr. 6. nempe fundamentum jaci consuevisse doctrinis *de pœnitentia, de fide in Deum, de Baptismô, de verbô DEI, de manuum impositione, de resurrectione mortuorum ac de judiciô extremô.* Justæ autem explanationes horum Articulorum in aliis Apostolorum scriptis extant. Theodoretus Tomo II. Com. in Epist. Pauli. quærit, quare Epistola ad Romanos primô locô sit collocanda, cum tamen non sit prima omnium scripta? & respondet, hoc factum esse, *quia in se omnis generis doctrinam, & accuratam copiosamq; dogmatum pertractationem contineat.*

§. XXVII. Miramur autem vertiginem Papistarum. Ajunt incipientibus Apostolos scripta sua non proposuisse, sed per præviam Catechesin orali traditione cum eis egisse. Addunt, perfectioribus Traditiones suas reliquisse, ut in rebus ad salutem pertinentibus plenissimè informarentur. Quinam ergò sunt me-
C
dioximi

dioximi illi, quorum demum gratiâ sana doctrina consignata est, aut quibus hodiènum inservit? In principio religionis nihil emolumentum parit convertendis; à perfectioribus Clericis parùm curatur; medium locum occupant inter hos Papistarum laici. Num igitur pro his est sacra Scriptura? Atqui Papa laicis sacrum codicem è manibus eripit, eisq; qui hoc utuntur, igni & aquâ interdicit. Agnoscas ergò denuò ungviculos AntiChristi S. literas planè è medio tollere cupientes.

§. XXVIII. Alterum membrum, quò Papistæ Traditionum necessitatem probare satagunt, est, quòd simul & unâ cum Scripturâ tanquam concausam & alterum parziale principium fidei nostræ requiri asserunt. Scilicet ut Catechismus ex decretò Concilii Trid. editus p. 12, edit. Col. docet: *omnis doctrina ratio, quæ fidelibus tradenda est, verbò DEI continetur, quod in Scripturam Traditionesq; distributum est.* Ad hoc stabiliendum non tantùm aliqua Scripturæ dicta detorquent; sed etiam varia exempla Articulorum in scripturis non contentorum coacervant.

§. XXIX. In primâ acie stat dictum Salvatoris nostri Joh. 16, v. 12. *multa habeo vobis dicere, sed non potestis nunc portare.* Sed quæritur, an illa multa fuerint novi Articuli fidei? Negamus nos, expressè enim cap. antecedente 15, v. 15. Christus inquit ad discipulos: *jam non dicam vos servos, sed amicos meos; quia OMNIA, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ergò ex ipsò contextu, qualia multa Redemptor intelligi velit, indaganda sunt. In antecedentibus non de novis Articulis ipsi sermo est; sed quos jam antè tradiderat, & à Johanne perscripta sunt, de pœnitentiâ, de justitiâ, de peccatò, de fide. Et quidem non simpliciter hos proponit, sed quâ ἐνεργίᾳ Spiritus S. in iis edocendis per ora Discipulorum se exerturus sit, quomodò mundum accusaturus sit, quibusq; adeò charismatibus in docendò munere Discipulos sit instructurus, enarrat: nempe ut hoc mœstitiam Discipulorum ex instanti habitu Magistri sui conceptam mitigaret. Sed cum insignia hæc κενύματα per Sp. S. sibi conferenda Discipuli præ animi tristitiâ intelligere non possent; ideòq; etiam Salvator hoc tempore in cœptò sermone non vult pergere; sed ait, ipse Sp. S. hoc vobis abundè suppeditabit, ipseq; ducet vos in omnem veritatem.

Quo-

Quomodo autem? nihil à se loquetur, sed de meo accipiet, ac vobis
annunciabit v. 13, quemadmodum cap. 14. v. 26. dixerat: Spiritus
S. docebit vos omnia, quæ quòquò locò ac tempore fuerint pera-
genda, ac ὑπομνήσει omnia, quæcunq; dixi vobis, non, ut Vulgata
malè transtulit, quæcunq; dixerò vobis.

§. XXX. Patrocinium etiam quærent in 2. Thess. 2. v. 15.
tene Traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam
nostram. Possemus dicere, hoc dictum planè scopum non ferire,
etiamsi de Traditionibus non scriptis ageret. Hæc enim Epi-
stola ante omnes alios libros N. Testam. exceptâ priore ad eos-
dem Thesalonicenses, perscripta est, & ante Matthæi Evangeli-
um extitit, ut ex Irenæo patet. Ideòq; nondum absolutò Cano-
ne rectè dicebatur, doctrinas Apostolorum sive per scripturas,
sive per traditiones recipiendas esse. Enimverò quales Tradi-
tiones Pauli fuerint, exponit nobis Lucas Apostolorum Secreta-
rius Act. 17, v. 3. ubi scribit, Paulum, cum venisset Thesalonicam,
exposuisse Judæis ex scripturis, oportuisse Christum pati ac resurgere
à mortuis, & illum Christum esse Jesum, quem annunciaret. Ad hæc
provocat Paulò hoc ipsò in locò v. 5. ἠμνημονεύετε, quod hæc dixero
vobis, cum essem apud vos. Hæc autem omnia perscripta sunt,

§. XXXI. Provocant porrò ad 1. Tim. 6. v. 20, depositum
custodi. Tertull. l. de Præscript. c. 25. refert, veteres hæreticos eò-
dem argumentò demonstrare voluisse, Apostolos non revelasse
omnia omnibus, (sed quædam secretò tradidisse,) Ergò hoc di-
dicerunt Papistæ à veteribus hæreticis. Ipse autem refert depo-
situm ad id, quod supra & infra scriptum est ab Apostolò. Lu-
cem huic loco affert alius locus 2. Tim. 1. v. 13, ubi notanter ait
Apostolus: ΤΗΝ καλήν παρακατάθεσιν custodi, n. eam, de quâ
antecedentia clarissimè sonant.

§. XXXII. Afferunt etiam 2. Joh. v. 12, & 3. Joh. v. 13.
multa habens scribere vobis, nolui per chartam & atramentum. Sed
primum attendenda est causa, cur Johannes ad hos non plura
perscripserit; quia scilicet sperabat, se ad eos venturum. Hæc au-
tem ratio ad nos non valet, quæ Johannis adventum in has terras
polliceri nobis minimè possumus. Consulenda igitur nobis sunt
cæterorum Apostolorum scripta, ut, quod in his Epistolis deest,

ex reliquis suppleamus. Facile autem damus, in brevissimis istis non omnia, sed tamen quædam (ad salutem) necessaria contineri. Nec vocem *πᾶσι* in dicto 2. Tim. 3. supra allato distributive, sed collectivè accipimus, ut totam summam librorum Bibliorum complectatur. Sed tamen & illud confidenter asserimus; quocunq; tempore, quotquot etiam libri, à primò scriptiois initio extiterunt, eos semper fuisse ad salutem sufficientissimos: Hinc DEUS ab initio non brevissimum aliquod scriptum per Prophetam quendam edidit, in quâ vel primâ illâ ætate multa desiderari possent; sed per Moysen statim augustissimos sapientiæ suæ thesauros reclusit. Quippe vel solus liber Geneseos omnem salutem assequendi rationem clarissimè patefacit; ac proinde pii veteres haud immeritò Moysen omnis Prophetiæ Oceanum dixerunt. Nec dubium est, Genesin vel statim cum Decalogo, quem Deus ipse sanctissimis suis digitis in Saxo delineavit, vel mox post indivulsò ferè nexu propalatum esse, Scribit Euseb. l. 3. præpar. Evangel. c. 3. *Moses antequàm leges poneret, majorum vitas animis hominum impressit. Ita bonorum præmiis & impiorum suppliciis ad amplectendam virtutem & fugiendam impietatem exhortatus leges tandem in medium proposuit.*

§. XXXIII. Exempla Articulorum fidei quod concernit, quæ præter & extrâ Scripturam addiscenda Papistæ asserunt, ea non sunt unius generis. In quibusdam apertè crimen falsi committunt, ut: quòd dicunt, in S. literis non haberi 1. quale remedium fuerit sub antiquò fœdere sequioris sexus contra peccatum Originis, 2. quæ Deo fuerit ratio salvandi masculos ante octavum diem denatos, 3. quomodo gentiles stante Politia Mosaicâ salvi facti sint. 4. infantes sub novò fœdere baptizandos esse, 5. Sacramenta quæ instituta sint. Hæc enim apertè docentur (a) Gen 17. v. 19. (b) ibid. (c) Act. 4. v. 12. Ebr. 11. v. 6, 31. (d) Joh. 3. v. 5. conf, Matth. 19. v. 14. c. 18. v. 6. (e) Matth. 28. v. 19. c. 26. v. 26. &c. Si dicant, hæc non quoad verba in S. Bibliis reperiri: respondemus cum B. Athanasio in simili materiâ: *tametsi hæc voces in Script. non contineantur, habent tamen eam sententiam, quàm Scripturæ volunt.*

§. XXXIV. Quædam, quæ Papistæ pro Articulis fidei proponunt,

ponunt, non sunt absolute de fide, sed circa fidem, ut quando ajunt: credendum esse, Mariam post partum semper mansisse virginem. Nam Basilius Tomo I. homiliâ de nativitate Christi ait: *non esse curiosè hâc de re disputandum, ὅτι μηδὲν τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνε[ι]αι λόγῳ, quod nihil ea res pietatem ledat.* Epiphanius tamen, hæresi 78. Ambrosius Epistolâ 28. & Hieronymus adversus Helvidium utuntur dictô de portâ clausâ, quàm solus Dominus subintrat. Ez. 44. v. 2. Quomodo & Augustinus Tomo 10. de nativit. Servatoris sermone 2. porta clausa, inquit est signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas. Quædam liberæ planè sunt Ceremoniæ, quales est illud, Pascha celebrandum esse die Dominicâ. Cum enim acris hac de re controversia inter Orientales & Occidentales orta esset, ita teste Sozomeno l. 2. Hist. Eccles. c. 19. fuit definita, ut quisq; Ecclesiæ suæ consuetudinem sequeretur.

§. XXXV. Tandem etiam post Scripturam necessarias esse Traditiones pugnant. Nimirum ne quidem eos fidei Articulos, qui continentur in S. literis, sine Traditionum luce intelligi posse. Ita enim Bellarm. l. 4. de verbo D. c. 4: *cum duo sint in scripturâ, voces scriptæ & sensus eis inclusus, voces haberi ab omnibus, sensum verò non haberi, nisi accedat Traditio.* Et exempli locò affert æqualitatem Divinarum Personarum, Processionem Sp S. à Filio, peccatum Originis, descensum Christi ad inferos &c. hæc & similia, inquit, deducuntur quidem ex S. literis, sed non adeò facile, ut, si solis pugnandum sit Scripturæ testimoniis nunquam lites finire possint cum protervis. Sed respondemus Bellarm. quamvis hæc in unò vel alterò Scripturæ locò posita sint obscuriùs, tamen in aliis cœlò, cum sudum est, clarius dispalescunt, Magnificè scilicet & salutariter, ut August. loquitur 2. de doct. Christ. c. 6. *Spiritus S. ita scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret; obscuris autem fastidia detergeret.* Nihil enim ferè de obscuritatibus illis eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiat.

§. XXXVI. Si egregias illas explicationes, quas ex Traditionibus proferunt, paulò animò consideres, quàm insulsæ, quàm prodigiosæ, quàm portentosæ illæ sunt! Pronunciatum

Petri: *ecce duo gladii*, interpretantur: Pontifex, Rom. habet ad-
 ministrationem utriusq; gladii, & spiritualis & Politici. *Eliseus a-*
qvas amaras injecto sale per miraculum dulces reddidit, hoc ipse ta-
 lem necit sequelam; ergò in Ecclesiâ debet esse aqua exorcisata.
Deus omnia subjecit sub pedibus Christi, id est, Pontificis Rom. *pe-*
cora campi, i. e. homines viventes in hac terrâ, *pisces maris*, h. e.
 animas in purgatorio, *volucres cæli*, h. e. sanctorum animas, qvas
 Papa per Canonisationem potest proponere adorandas. Sed
 hæc non ex Apostolorum, sed ex AntiChristi Traditionibus pro-
 diisse, quilibet videt.

§. XXXVII. Cum igitur Traditiones neq; ad hominem
 Christianum in communi salutariter informandum, neq; ad Ec-
 clesiæ doctorem benè instituendum necessariæ sint; adeoq; nec
 ante Scripturam Divinam hodiè, nec simul cum eâ, nec post eam
 requirantur, eas ut supervacaneas haud magni æstimamus, sed
 autoribus suis relinqvimus,

MEMBRUM II.

Traditiones, si quàm maximè darentur
 Apostolicæ extra & præter Scripturam S.
 firmum tamen aliquod fidei fundamen-
 tum constituere non posse.

§. I.

Ponimus conditionem impossibilem, ut hõc ipsõ fidei nostræ
πληροφορία ex solõ Dei verbõ scriptõ contra Papistas magis
 consistat. Nempè ut Apostolus per *αδύνατον* loquitur Gal. i. v. 8.
 sic nos eandem sententiam quasi ex ore ejus nunc repetimus.
 Querit Paulus, si quàm maximè contingeret, ut vel Angelus, vel
 etiam ipsi Apostoli aliud Evangelium annuntiarent, præter id,
 quod datum erat Galatis, quid iis tum faciendum? Num Evan-
 gelium illud *ἄλλο* pro partiali normâ fidei & vitæ Christianæ es-
 set habendum? Et respondet negativè, vibrato simul in ejusmo-
 di prædicatorem anathematis fulmine. Pontificii, ut Apostoli
 male-

maledictum à se declinent, communissimè excipiunt, illud *περὶ* in dicto Pauli explicandum esse per contra; sicq; se benè posse Traditiones extra & præter Scripturam assumere, modò non verbo DEI scripto expressè contradicant.

§. II. Verùm præterqvàm quòd hæc sententia tum à communi usu vocis *περὶ*, tum per adjecta vocabula *ἕτερον καὶ ἄλλο* abundè refellitur, multa simul incommoda secum portat. Ita enim latissima fenestra aperitur omnis generis vel erroribus, vel seductionibus. Nam qui præter Scripturas aliquid in fide recipit, nullò negotiò adducitur, ut etiam, quæ his contraria sunt, admittat. Testantur exempla virorum aliàs optimorum, qui non certè eò animò, ut aliquid contra sanam Apostolorum doctrinam reciperent; sed boni studii gratia, ut ampliùs aliquid, quàm quod horum scriptis continetur, addiscerent, eòq; miserimi, in plurimos errores delapsi sunt. Papias antiquissimus Pater, ut uberiùs informaretur post Apostolorum obitum, non contentus eorum scriptis ulteriùs exquisivit, quid Andreas, quid Philippus, quid Thomas, (qui nempe nulla scripta reliquerunt), præterea docuissent; sed, ut ex Eusebiò 1, 3, Hist. c. 33. constat, multa paradoxa hinc invexit: in quibus est error Chiliasticus, in quem simul secum pertraxit multos alios patres, qui huic ob antiquitatem fidem habuerunt, Irenæum, Apollinarium, Tertullianum, Victorinum, Lactantium &c. Eòdem modò Clemens Alexandr. dum præter Scripturam deditus erat Traditionibus, has pugnantes cum scripturis protulit sententias, 1. quod quemadmodum lex Judæis fuerit pædagogia ad Christum, ita quoq; Græcis fuerit Philosophia, 2. lapsis tantùm secundam poenitentiam prodesse, 3. Supplicia post hanc vitam cessatura, 4. Græcos per philosophiam esse salvatos, 5. perfectum non debere jurare, 6. Christianos non posse contendere in iudicio, ut ex libris Stromatum liqviddò apparet; Sic Origines quot plaustra errorum in posteritatem invexit! & tamen præfatur in libros *περὶ ἀρχῶν*, se, quæ propositurus erat, ex Traditione Apostolicâ accepisse.

§. III. Nec dicant Pontificii, hæc apertè contrà Scripturas, non tantùm præter eas esse. Vix enim hoc Patres dicti concesserint; sed potius varias conciliationes eòdem colore, quo Papistæ,

Papistæ; protulisse eos, vero est simile. Nos autem hinc deducimus; si tam claris viris iisq; in S. Literis versatissimis (nemini enim ignotum est quàm industrius earum lector Origines Adamantius fuerit, proferens etiam de penu suâ Biblia tetrapla, hexapla, octopla) contigit, ut Traditionibus quasi effascinati ad clarum solis lumen caligârint; quantò magis idem evenire potest his, qui non tantum ab eruditione valent? Si Patres Ecclesiastici Apostolorum seculo vicinissimi viventibus adhuc iis, qui cum Apostolis conversati erant, tamen ex Traditionibus non certam aliquam fidei regulam exstruere potuerunt, sed potiùs his confisi in varios errores præcipites acti sunt: Si Papias Johannis auditor, Polycarpi familiaris Traditiones seqvens Chiliastarum Chiliarchus factus est: quantùm nobis à Traditionibus metuedum erit, qui sumus ab Apostolorum temporibus remotissimi? Et profectò si Traditiones Traditionibus oppugnandæ sunt, verendum ne triumphos de Papâ Papias agat, cum de antiquitate hujus ac testium hujus certò certius constet, de Papæ testium vetustate adhuc sub judice lis pendeat.

§. IV. Si ad pluralitatem votorum antiquitatis confugiant, rursus tamen Papæ palma redditur ambigua; quoniam & Græcæ Ecclesiæ numerò Latinis non inferiores ad Traditiones provocârunt Papisticæ Doctrinæ contrarias. Exempli locò sit controversia de tempore Paschatis celebrandi, ubi Latini ad Petri & Pauli, Græci ad Johannis & Philippi Traditiones strennè provocârunt. Quibus quæso in tantò sententiarum divortiò calculum tuum adjecisses? Et quamvis hæc lis de Ceremoniâ, non de doctrinâ fidei acta fuerit, sufficit tamen à Papistis hanc haberi pro fidei dogmate, ut ex §. 34. Membri primi apparuit; ac demens fuisset Victor, si anathemate Orientales feriisset in re, quam pro fidei Articulò non habuisset.

§. V. Prætereà tantùm non omnes heretici Traditionum titulo superbierunt. Ante Christum natum, & eò in terris obambulante Pharisæorum ac Scribarum turba jactabat Traditiones, non aniles quasdam aut noviter confictas; sed quæ à Mose ad Sanhedrim, à Sanhedrim ad Prophetas, à Prophetis ad seniores, à senioribus ad ipsos deductæ essent, quæq; clavis Scripturæ ip-
sis

sis dici merebantur. Tempore Apostolorum nihil frequentius erat Pseudapostolis, quam falsa sua dogmata sub Traditionum Apostolicarum nomine auditoribus propinare. Posthæc commune armamentarium hæreticorum Traditio fuit. Ad hanc enim provocârunt discipuli Simonis Magi in primò; Basilides, Carpocratiani, Valentinus, Archontici, Marcionitæ, Severiani, Encratitæ, Montanus, Artemon in secundò; Ariani in quartò; Eutyches in quintò à natò Christò seculò, prout ex patribus eorum sententiam allegat Gerhard. in Loco de Script. S. p. 13.

§. VI. Qvis ergò paleas à frumentò, scorias ab aurò, lupinos ab ære in tantò acervò dignoscet; quòlibet pro Traditionum suarum autoritate tanquam pro aris & focis dimicante? Nec nostrum seculum privilegiò aliquò pollet, quò minus sub Traditionum operculò varii generis errores ac hæreses introduci queant. Sed potiùs illud maximè à Christò & Apostolis notatum est, quòd hæreses gravissimæ in eò sint invaliduræ, mundi ingravescente ætate. Præprimis Petrus scriptum reliquit, Pseudopphetas fore in ipsâ Ecclesiâ DEI corruptam doctrinam subintroducturos 2. P. 2, v. 1. non obscure digitum intendens ad phænomena illa successorum suorum Romanorum. Ergò maximâ cautione in Traditionibus legendis opus est, & cum ita fluctuantem semper conscientiam relinqvant, nihil solidi ex illis adstrui poterit, nisi prius ex certò & indubitato DEI verbò, Scripturâ nempe S, demonstrantur.

§. VII. Quamvis autem concedamus, Paulum in dictò superiùs citatò Gal. 1, v. 8. Traditiones Apostolicas ex ipsorum Apostolorum ore jam profectas, quæq; nondum eo tempore etiam quoad Articulos fidei ab ipsis Apostolis perscriptæ omnes extabant, sub nomine Evangelii prædicati simul includere; sicut Papistæ dejecti à præfidiò in voce *megà* modò quæsitò contendunt: tamen, quoniam hæ ipsæ Traditiones & quoad summam fidei jam antè à Prophetis conscriptæ extabant; cum idem Paulus asserat Rom. 1, v. 2. *se hoc Evangelium prædicasse, quod Deus ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis*; & quoad applicationem ad hunc ipsum Mariæ Filium, pleniorèq; explanationem ab ipsis Apostolis & Evangelistis postea consignatæ sunt:

D

sunt:

sunt: étiam hoc Papistarum causam nihil quicquam juvare potest.

§. VIII. Atq; híc operæ pretium est considerare, quantâ cautione Apostoli suas ipsorum Traditiones etiam tunc temporis, cum essent adhuc in vivis, docuerint accipiendas esse. Paulus sæpius laudatus & κατ' ἐφοχὴν Apostolus meritò dictus, etiam sub ipsum Scripturæ N. T. initium valdè prudentes esse auditores suos pristinos jubet, ne Traditionibus circumveniantur: *ne citò dimoveamini*, inquit ad Thessalonicenses suos 2. Ep. 2. v. 2. *à mente neq; turbemini vel per Spiritum, vel per sermonem, vel per Epistolam tanquam à nobis profectam.* Ad suas quidem Traditiones ablegat eos v. 15. quas ipsi ex ore ejus exceperant. Sed si alius sermonem ad eos deferat Apostoli nomine, vel etiam Epistolam afferat tanquam ab eo scriptam, tum monet, ne facile tali fidem habeant; sed sermonem quidem diligenter examinent, an Apostoli prædicationi ante factæ, quam in recenti memoriâ habebant, per omnia consentiat; literas vero probè intueantur, num manum Pauli cognoscere in iis possint, num signum ejus habeant, num sigillo ejus sint obsignatæ. Quemadmodum in fine certam notam iis relinquit: *hec est salutatio mea Pauli manu, hoc est signum in omnibus meis epistolis, ita scribo.* c. 3. v. 17.

§. IX. Hinc verò rectè ratiocinamur: Traditiones, quæ Apostolorum nomine veniunt, sunt examinandæ ad manum & signum Pauli. Jam verò manum & signum Pauli non habemus hodiè, nisi in Epistolis ejus Canonicis ad vivum expressa. Ergò hæ unicè fundamentum & columna fidei nostræ sunt, quibus inniti certâ animi fiduciâ possumus, & quæ præter & extra has proferuntur, iis non debemus dimoveri à sententiâ. Par autem debet esse de cæterorum quoq; Apostolorum doctrinâ, judicium n. p. ad Scripta eorum publica examinetur.

§. X. Idem repetit, cum ex vinculis suis ad Colossenses scriberet c. 2. v. 8. *videte, ne quis vos seducat per inanem deceptionem secundum Traditionem hominum.* Hic si regerant Romanæ aulæ promachi ac symmachi, de Traditionibus hominum Apostolum loqui, sibi verò de Traditionibus Apostolicis adeòq; Θεοπνεύστοις sermonem esse, recolant quæso memoria, quæ paulò antè ab Apostolò cap. 1. dicta sunt: *etiamsi Angelus, vel etiam*

nos &c. nempe omnia dogmata, quæ præter & extra Scripturam propalantur, Traditionum humanarum nomine insignit, (nisi Traditiones Angelicas, id est, Diabolicas humanis his addere velint). Et quàm bene conveniunt Papistarum dogmatibus, quæ Apostolus v. 16. 18. 21. 23. affert, ubi explicat, quid per Traditiones hominum intellectum velit. Nihil ergo dubii subest, quin etiam Papisticæ Traditiones ab Apostolò vel maximè notentur.

¶ XI. Eadem causa fuit, cur Apostoli, quando miserunt Apostolicos viros ad hanc vel illam gentem, ut prædicarent, literas fiduciaras simul misere, quibus non tantùm legatorum suorum legitimam vocationem probarunt; sed simul amissim tradiderunt, ad quam exigi posset eorum doctrina, & qua à falsis fratribus Apostolorum missionem & dogmata jactantibus judicari deberent. Sic misit quidem Paulus Timotheum ad Corinthios, non nova dogmata propositurum, sed de quo ait, I, c. 4. v. 16. *αναμνήσει*, in memoriam vobis revocabit, si quid forsan ex prædicationibus meis oblivioni mandatum est. Nihilominus haud acquievit Paulus hac missione, sed simul Epistolam suam Timotheo tradidit, eam ut Corinthiis proponeret, ac fidem sibi faceret. Quin ipsi Timotheo tametsi oretenus bonum depositum commendaverat, cum primis quomodo conversandum sit in domo DEI; tamen ut Timotheus & coram aliis officio suo auctoritatem conciliare, & ipse ad exemplar subinde respicere posset, illud ipsum literis consecrare ac dedicare voluit, subinde ingeminans, *hæc præcipe, hæc meditare, in his permane, hæc doce & exhortare*, scilicet quæ tibi præscribo. Lucas ad Theophilum suum scribens causam exaratae historiae subnectit, *ἵνα ἐπιγνῶς λόγων τὴν ἀσφάλειαν*. c. 1, v. 4. Igitur sanæ doctrinae ἀσφάλεια nobis intra, non extra Scripturas est quærenda.

¶ XII. Objectionis speciem habere posset, quod de Symbolò Apostolicò vulgò dictò & nos Lutherani concedim⁹ & profiteremur, illud permagnæ esse auctoritatis, quodq; idem à veteribus *regula fidei* dictum fuerit, ad quam de omnibus doctrinis iudicium sit ferendum, quomodo audit tum apud Tertullianum de præscript. adversus hæret. & libro de veland. virgin. tum apud August. l. 1. de Symbol. ad Catechum. & alibi. Ergone & nos

Traditionem aliquam Apostolicam extra & præter V. ac. N. T. libros pari pietatis affectu cum iisdem veneramus? Verum cum nihil contineat istud Symbolum quod non vel expressè vel κατὰ διανοιαν in S. literis contineatur, & Traditio hæc fit non tantum Scripturis συμφωνος; sed omninò ἰσχυρος, immeritò thesi nostræ opponitur. Nihil hîc novi continetur, sed docente eodem August. *collata in unum potius catholica legis fides symboli brevitate colligitur.*

§. XIII. Ulteriùs tamen quis instare posset, ergòne scriptum aliquod extra conscriptos V. & N. Testamenti libros, quale Symbolum hoc est, pari omninò locò & autoritate cum libris illis est habendum? Respondemus cum eodem August. l. ii. contra Faustum Manicheum c. 2. *excellencia Canonice autoritatis V. & N. T. tanquam in sede quâdam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus; ceterorum omnium, etiam in quibuscunq; invenitur eadem veritas, longè tamen est impar autoritas.*

§. XIV. Quod ut melius intelligatur, tenendum est, duas præcipuè de hoc symbolò reperiri veterum sententias. Prima est eorum, qui contendunt, ab ipsis Apostolis hoc esse perscriptum. Ita sentiunt Clemens epist. 1. Irenæus l. 3. c. 4. Ambros. Serm. 38. Hieron. advers. error. Johann. Hierosolym. August. Serm. 18. 115. & 118. de tempore, & Leo epist. 96. ad Pulcheriam. Ruffinus in exposit. Symb. nobis scriptum reliquit non tantum finem, cujus gratiâ Apostoli laborem hunc susceperint, nempe, *ut agnosceretur is, qui Christum verè secundum regulas Apostolicas predicaret*: sed etiam percenset modum, quo Apostoli in condendò eò fuerint usi; nempe singulos ait quasi tesseram quandam in medium contulisse, ut singuli Articuli singulos Apostolos autores haberent; omnes autem postmodum omnium calculis fuisse approbatos.

§ XV. Contra verò Eusebius, Gregorius Nyssenus aliiq; post Apostolorum obitum ab ipsorum discipulis conditum esse asserunt contra hæreses tum temporis, imprimis adversus Personam et Officium Christi grassantes. Hi priorem sententiam repudiant duplici fundamentò: Primò si hoc esset scriptum Apostolorum, utiq; vel Lucas illud in Actis retulisset, quemadmodum Epistolam Synodalem Act. 15. describit: vel Apostoli
non

non planè silentiò id præteriissent, præsertim quando Canonis faciebant mentionem, ut cum Paulus ait: *quicumq; juxta hunc canonem ingrediuntur &c.* Gal. 6. v. 15. tuuc certè parvò negotiò potuisset hoc Symbolum apponere, si ab ipsis Apostolis pro canone et mensurâ fidei traditum fuisset. Deinde ex Ruffinò constat, diversimodè in diversis ecclesiis pronunciari id solitum fuisse, nec unò eodemq; tempore esse absolutum, sed alia atq; alia pro novis succedentibus hæreticis opinionibus adjecta esse. Ast si Apostolos ipsos agnovisset autores, quis apicem vel mutare vel adjicere ausus fuisset? Quod ad Prioris sententiæ rationes attinget, dicunt hi posteriores, de Clementis et Ambrosii citatis locis dubium adhuc permagnum esse, sintne genuina scripta, an adulterina. Irenæum autem, Hieronymum ac Leonem non ipsum Symbolum κατὰ τὸ ἑκείνῳ recitare, sed tantummodo sententiã in Symbolò nostrò, prout hodiè recitatur, comprehensã.

¶ XVI. Huic opinioni et nos assurgimus, credendum tamen est, hujus Symboli usum saltem κατὰ διάνοιαν primis statim seculis in Ecclesiã invaluisse. Dicitur ergo Apostolicum, non quasi Apostoli ejus autores fuerint secundum literas et syllabas, ut & communicandi modum; sed quia in eò mens Apostolicæ doctrinæ ad vivum expressa atq; in compendium redacta est. Si quæras tandem, num & nos pro normâ fidei Symbolum hoc habeamus, quo nomine veteres id salutarunt, distinguimus inter normam, quæ ut primum principium omnia dogmata moderatur; et normam *normatam*, quæ ad alterius exemplar fabrefacta rursus alia bene metiri potest. Hoc modò nomen huic symbolo ab antiquitate tributum non abrogamus; quin et cætera Oecumenica Symbola, & libros nostræ Ecclesiæ, qui hinc dicuntur Symbolici, pro ejusmodi normis ad Script. S. directis habemus. Et hi tandem libri, quos ultimò locò diximus, majorem utiq; etiam habent auctoritatem, quàm privati alicujus autoris scriptum cum literis Θεοπνευστοῖς consentiens, cum totius nostræ Ecclesiæ adstipulationem sint sortita. Majorem autem adhuc eminentiam habent quatuor Concilia καθολικά; & supra hæc omnia Apostolorum Symbolum utpote antiquissimum collocatur. Paritas in his omnibus est veritatis; sed auto-

ritatis maximā disparitas, & tamēn vel summus horum gradus longē infra scripturæ autoritatem positus est.

*Irenæus l. 3.
Tertull. de
Præscript.*

§. XVII. Poterat & illud contra nos adduci, quod habetur apud Chemnitium in Tertio genere Traditionum, ab Irenæo & Tertulliano multum tribui Traditionibus, qui simul Romanam sedem magnoperè commendant, apud quam verè Apostolicam fidem depositam asseverant; quin & cum hæreticis aliquando non ex Scripturis, sed ex Traditionibus esse agendum censent. Sed hoc ab iis patribus factum, non quasi dogma aliquod Ecclesiæ Rom. extra & præter. S. literas approbarent; sed quia cum ejusmodi hæreticis controversias alebant, qui penitus rejiciebant S. Scripturam, non tantum nova dogmata, sed & principia nova proponentes, alia videlicet scripta, quæ ipsis dicebantur Canonica, quæq; Apostolis genuinorum locò supponebant. Hic ergo καὶ ἀνθρώπων disputant allegati Patres, demonstrantes suam Ecclesiam longē majoris esse faciendam, quàm sit Ecclesia hæreticorum, cum tam multis privilegiis ista præ hac sit illustris, possintq; successores clarissimos ordine enumerare usq; ad Apostolos ipsos. Unde tandem concludunt, testificationem suæ Ecclesiæ, quam verè sacris literis exhibet, majoris esse faciendam, quàm testificationem alterius de libris suppositiis. Instas: cur igitur non provocant ad interna κειμήλια Scripturarum verè Apostolicarum? Respondetur, & hoc alibi passim abundè præstant. His autem locis si dictos hæreticos aut eorum auditores ad internas Scripturæ notas statim amandassent, næ operam & oleum perdidissent, cum isti totâ mente à sacrâ Scripturâ essent alienissimi.

§. XVIII. Patet ex his, qui tùm se dictis Patribus opposuerunt, planè infidelium ac gentilium loco fuisse habendos. Ad hos autem Ecclesiæ autoritatem aliquid facere, ac fidem humanam gignere, quæ postmodum pædagogia quædam soleat esse ad fidem Divinam ex ipsò sacrò codice concipiendam suprâ docuimus. Verùm hæc omnia parum contra nos roboris habent. Neq; enim ii sumus, qui Prophetarum & Apostolorum scripta rejiciamus; neq; Papicolæ in Ecclesiâ suâ successionem Apostolicam non interruptam certis & indubitatis argumentis unquam ostendent;

ostendent; deniq; ipsa doctrina Romanensium Idololatrarum haud conformis est doctrinae Apostolicae, quam defendendam laudati Patres unice susceperant. Ibi ergo duplici demonstratione commodè uti poterant primitivi illi doctores, atq; ab existentia suae Ecclesiae ad existentiam scriptorum verè Apostolicorum: ab essentia verò & quidditate Scripturae ad essentiam & quidditatem verè suae ecclesiae argumentari. Hic autem quoq; se vertant Papicolae, nihil nisi meras principii petitiones committunt.

§. XIX. Ratum igitur firmumq; manet pervulgatum illud Hieronymianum: *quod cum sacris literis non congruit, eadem facilitate condemnatur, quâ probatur*; indeq; nullâ prorsus animi *κυσία* Traditionibus ἀγράφοις inniti possumus.

MEMBRUM III.

Papistarum Traditiones non esse Apostolicas, sed verbo DEI contrarias, blasphemias, impias, absurdas.

§. I.

Merito noster Chemnitius Part. I. Exam. Trid. p. m. 60. Traditio verè Pandora pixis est, cujus operculò omne genus corruptelarum, abusus & superstitionum in Ecclesiam inductum fuit, & p. 76. ex illò locò sicut primum progressæ sunt, ita etiam hodiè defenduntur corruptelae, abusus, superstitiones, & quidquid ad regnũ AntiChristi pertinet. Disputat onem Pontificiorum de Traditionibus rectè vocare possumus non epitomen, sed pandectas errorum & superstitionum.

§. II. Hic autem optandum esset, ut exactum numerum Traditionum Papisticarum teneremus, quò melius detegere AntiChristi nostri vafritiem possemus. At vero antagonista nondum induci potuerant, licet sæpius in colloquiis rogati, ut numerum harum definirent. Neq; etiam svadendum hoc ipsis est, ne arcana politica suae Ecclesiasticae nimis prodantur, aut reservati praxeos suae *πλουδαϊδαλα* quicquam decedat. Petrus tamen à Soto ceteris liberalior sic enarrat: *oblatio sacrificii altaris, unctio*
Chrisma-

Chrysmatis, invocatio Sanctorum, merita operum, primatus Rom. Pontificis, consecratio aquæ in Baptismo, totum Sacramentum Confirmationis, elementa, verba & effectus Sacramenti ordinis, matrimonii & extreme unctionis, orationes pro defunctis, enumeratio peccatorum Sacerdoti facienda, necessitas satisfactionis. Sed pertinent huc infinita alia, mutilatio Cœnæ Dominicæ, cœlibatus Sacerdotum, delectus ciborum, purgatorium, nundinatio indulgentiarum, cultus imaginum, legendæ Sanctorum &c. &c.

§. III. Hæc omnia ab Apostolis vivâ voce tradita pleriq; procaciter affirmant cum summâ sanctissimorum virorum injuriâ. Sed tamen hîc audire juvat ipsos Cadmeos fratres, quàm pulchrè inter se conveniant. Julius Rugerius Papæ protonotarius in opusculô de libris Canonicis & Apocryphis pronunciat, *Traditionem nullius esse ponderis, nisi nullis temporum intercapedinibus interruptam ab Apostolorum usq; temporibus, inde enim necessum esse Traditiones manare.* Ast glossa juris Canon. in C. cum Marth. Extr. de celebrat. Miss. *multa servat Ecclesia, quæ ab Apostolis non sunt tradita, quæ tamen cum sint longâ consuetudine approbata non sunt minoris autoritatis.* Episcopi Bononiæ congregati in suô consiliô Julio. III. Pontifici datô: *omninò credimus & confitemur tanquam verum articulum fidei, id quod Concilium Tridentinum statuit, nempe Dominum nostrum Jesum Christum, atq; ipsius Apostolos multò plura tum ad mores, tum ad fidem pertinentia ore tenus docuisse, quæ non fuerunt scripta, sed per manus tradita ad ætatem usq; nostram venerunt: & tametsi hoc apertè probare non possumus, (nam planè fatemur inter nos, quod non possumus de Traditionibus id, quod tenemus & docemus, probare, sed tantum habemus conjecturas quasdam) tamen confitemur esse verum, quia sic tenet Romana Ecclesia.* Egregia vero confessio aureis literis consignanda.

§. IV. Ut non sunt Apostolicæ; sic nec sacris literis sunt σύμφωναι, sed ab iis διαφωνῶν dissonantes. Quin hæc duo ita arctè juncta sunt, licet Papistæ ea discernant, ut quicquid præter & extra Scripturam in dogmatibus fidei asseritur, idem etiam contra scripturam esse meritò statuatur. Aper-tissima est DEI prohibitio, ne quicquam addatur vel dematur verbo suo, & quidem de verbô scriptô clarè sonant dicta Deut.

27. v. 26, quod conferatur cum Gal. 3. v. 10, Deut. 28. v. 58, Jos. 23. v. 6, Apoc. 22. v. 18, ergò quicumq; præter Scripturam aliquid recipiendum docet pari pietatis affectu, hòc ipsò detestandâ impietate omnia hæc præcepta, quin & totam S. Scripturam (quam ea totam attingunt), transgreditur.

¶ V. Sed & in specie singulos fidei articulos Traditionibus suis evertere student. Invocatio Sanctorum directè opponitur cultui soli DEO debito. mutilatio cœnæ Dominicæ est sacrilegium testamentarium clarissimis verbis institutionis Christi vim nefandam inferens: merita operum justitiæ fidei dicam scribunt, necessitas satisfactionis propriæ meritum Christi imperfectionis arguit: cœlibatus sacerdotum ordinem Divinitus institutum ut impurum & profanum detestatur: delectus ciborum libertatem Christianam impugnat. Longum hic esset singula percensere.

¶ VI. Si porrò unum vel alterum caput Traditionum harum inspiciamus, quam multa impia, blasphemæ, absurda, profana eructant. E sanctorum legendis deducuntur, quæ habet Antoninus Archiepiscopus l. Confess. *quod ex laterali Christi vulnere Franciscus exilierit, quod Franciscus primò vita, demum passione factus sit ad imaginem & similitudinem Jesu Christi crucifixi. Quodq; stigmatis quinque vulnerum suorum servet à morte aternâ viros, qui à tempore illius usq; ad finem mundi vixerunt & vivent,* refert Bernhardus in Rosariò. De Mariâ narrat Lamsheim de institutione Rosarii: *B. Virginem ingressam fuisse aliquando cellulam cuiusdam monachi Alani concinnas seq; ei ex suis capillis annulum & monachum illum sibi desponsasse, osculatum fuisse, dedisse contendas & luctandas papillas, deniq; ei fuisse tam familiarem, ut sponsa solet esse sponso.* Discipulus de temp. in miraculis Mariæ addit, *quod per quindecim annos cuiusdam monialis Beatrix dictæ vices in monasteriò sustinuerit, ipsâ interim in publicò lupanari scortationibus indulgente.* Unde hæc arcana haberent Papistæ, nisi a suis Apostolis?

¶ VII. Ex reliquiis sanctorum ἀγιωματων recenset Wolffius in Lect. Memorabil. Centur. 16. *B. Mariæ lactis tanta copia passim colitur, ut multa mulctralia eò commodè compleri possit*

E

possit

possint. Iohannis Baptiste sinciput Ambiani, id ipsum incola Iohannis Angelici etiam se habere jaētant, occiput Melitæ, illud ipsum Nemo-rosa, maxilla ejus Vesontii, alia pars Parisiis, auricula Arvenæ, frons cum Capillatio in Hispaniâ, Novioduni etiam pars quædam magnis ceremoniis ubiq; commonstratur, nihilominus Romæ integrum caput in Sylvestri cœnobio reperitur. brachium ejus Senenses habent, digitus, quo Christum commonstravit, Vesontii unus, Tholose item unus, Lugduni quoq; unus, apud Bituriges unus, Florentiæ unus, & propè Mascum Iohannis Fortuiti. Sic & Petri & cæterorum Apostolorum corpora sive integra, sive truncata diversis in locis monstrantur. Traditiones reales hæ sunt, juxtâ quas Apostoli & sancti DEI homines corpora sua ad posteritatem propaganda, vel etiam multiplicanda tradiderunt. Non licet hîc occinere, quâ ratione fit istud? sed simplici fidei obedientiâ est tenendum. Perfectioribus tamen parata est responsio: quantumcunq; abscindatur vel auferatur, mox per miraculum restitui.

§. VIII. Ex indulgentiis demum prodiit Taxa, quam vocant Pœnitentiaria, omnibus vitiis & flagitiis viam pandens. Hæc quibusvis gravissimis sceleribus & criminibus absolutionem promittit, modò certa pecunia solvatur. Pro parricidio, fratricidio, infanticidio exigit Turon. 4. Ducat. 1. Carol. 8, pro uxoris occisione Turon. 8. Ducat 21. Carol. 9. pro monachi cum moniali fornicatione vel etiam incestu Turon. 36. Ducat. 3. pro peccato Sodomie Turon 90. Ducat 12. Carol 16. Aut ipsæ Traditiones Apostolicæ Papistis hæc omnia sunt, aut legitimæ consequentiæ ex principiis istis deductæ.

§. IX. Sed manum de tabula. Neq; enim instituti nostri ratio permittit hæc porrò persequi, cum singulæ harum Traditionum singulos Tractatus requirant. Nobis tantum propositum fuit hæc vice in genere de Traditionum necessitate, auctoritate & sanctitate aliquid differere; hæc tamen specialis exempli loco afferre placuit, quò magis appareret, Traditiones Papisticas non Apostolorum, sed Apostatarum esse, neq; ex Simonis Petri, sed ex Simonis Magi Scholâ prodiisse. Deum veneramur cum Megalandro nostro Luthero, ut omnes, since-

ceros Theologos, quin & omnes horum *υποκρίτες* Discipulos o-
diō Papæ magis magisq; impleat, AntiChristum hunc totitan-
dem orbi revelet, fraudes & imposturas ejus confundat,
ac malum, quod minatur nobis, in caput ejus reci-
dere patiatur!

Conserva nos, Domine, in veritate; ver-
bum tuum veritas est!



... in omnes horum partes Discipulos
... Agrippinam hanc totam
... in omnes partes hanc totam
... in omnes partes hanc totam
... in omnes partes hanc totam

Conferas nos, Domine, in veritate; Ver-
bum tuum veritas est.



VD 17

17

21 v

